

niz conf., Garsia Suariz conf., Petrus Roderiquiz conf., Suarius Ordoniz conf., Petrus Didaz conf., Pelagius Martiniz conf., Pelagius Iohannes (\*) conf., Petrus ts., Martinus ts., Iohannes ts., Martinus Sancti Iacobi canonicus et eo tempore in curia regine domne Urracee cancellarius quod iussu regine et coram multis aliis scripsit proprio signo confirmauit.

(Sinal) MARTINUS.

5

30

1112, ABRIL, 12 — *Carta de couto da Sé de Braga, com expressa concessão dos direitos que se pagavam ao fisco real dentro do termo demarcado.*

ADB. — Col. Cron. (Cart. da Mitra), n.º 5, or. vis. trans.

In Dei nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ego famulus Dei Henricus egregius comes et ego famula Dei Taresia eius uxor Adefonsi Imperatoris filia per antiquarum et presentium paginam et per sanctorum patrum auctoritates scientes et euidentes cognoscentes Braccarensem ecclesiam comprouintialum medium matrem esse et magne dignitatis necnon sanctitatis antiquitus semper extitisse et ob hoc reformari super alias etiam sedes honorari debere, ideo bone voluntatis deuotione et benignissimo affectu placuit nobis ut gloriosissime genitrici Dei semperque Uirgini Marie in cuius honore ecclesia metropolitana fundata esse in Braccara ciuitate dinoscitur perpetuum in Christo munus pariter offeremus et inde seriem testamenti uobis reuerentissimo archiepiscopo domno Mauritjo et clericis ibi commorantibus faceremus et perhenniter concederemus. Scimus enim et per sancte predicationis doctrinam bene cognoscimus quia mundus iste breuis et labilis esse peribetur et uita huius mundi transitoria esse constat et ideo dum tempus habemus bonum semper operari cessare non debemus atque super omnia Sanctam Matrem Ecclesiam que pro nobis assidue orat et que orationibus et sacrificijs necnon sanctarum uirtutum incrementis nos Deo miserante saluabit honorare et sublimare et de bonis nostris augere largo animo debemus. Igitur ego prefatus comes Henricus et ego prefata Tarasia eius uxor Adefonsi imperatoris filia pari consensu et equali animo offerimus et donamus atque concedimus piissime genitrici Dei Marie in cuius honore basilica Braccarensi urbe fundata est et uobis sanctissimo archiepiscopo domno Mauritjo uestrisque successoribus necnon eiusdem loci clericis cautos in giro undique cum uillis et hominibus nobis debita seruitia persoluentibus ita ut nulla hominum persona ultra hos terminos infra subscriptos uolenter ingredi audeat. Id est per terminos de Petra Ficta deinde ad Montem Maiorem et inde per cacumina montium usque ad Sanctum Uereximum et inde ad Montem Caluelum et inde quomodo diuidit inter Braccaram et Adaulsi et inde quomodo diuidit inter Pitanes et Dumium et inde quomodo diuidit inter Dumium et

Palmariam et inde usque ad Sanctum Petrum de Merlin et inde per illam stratum que decurrit de Merlin ad Forozos et inde per Riulum Tortum usque ad Ferrarios et inde ad Pena Maurisca et inde per directum ad unum monticulum super Sanctum Saluatorem de Lodomar et inde ad aluum inter Asperones et Arcos et inde ad montem Sancte Marte et sinit ubi primitus in quoauimus.

Hoc itaque totum sicut in scripto continetur ita libere et absolute offerimus et donamus atque concedimus ut quicquid regali fisco uille et homines hactenus persoluerunt ab hac presenti die deinceps uobis domno Mauritjo Braccarensium archiepiscopo uestrisque successoribus necnon ecclesie Sancte Virginis Marie et clericis ibidem commorantibus reddant atque persoluant. Hec autem prosint ad indumenta siue ad refectionem clericorum Deo seruientium et pauperum ad eundem locum elemosine causa uenientium ut dum illi corporale subsidium perceperint nos uitam eternam eorum precibus adquiramus. Ab hac ergo presenti die deinceps a nobis siue a nostra posteritate quicumque sint siue filii siue filie hec omnia que supra commemorata sunt ecclesie Sancte Marie et uobis tradita et concessa atque confirmata sint euo perhenni. Si uero aliquis potens impotens nobilis ignobilis a genere nostro siue ab extraneo descendens sciensque huius seriem testamenti contra eam temere uenire temptauerit secundo tertjoue commonitus si non congrua satisfactio emendauerit a corpore et sanguine Domini sit extraneus et a planta pedis usque ad uerticem sit maledictus et anathematizatus et cum Iuda traditore Domini habeat partcipium et non appareat cum iustis in resurrectio in die iuditii. Insuper pariat auri libras XX.<sup>4</sup> Et hoc testamentum a nobis factum et in concilio roboratum semper sit firmum. Facta series testamenti II.<sup>4</sup> Idus Aprilis Era T.<sup>4</sup> C.<sup>4</sup> L.<sup>4</sup>. Ego comes Henricus et ego famula Dei Tarasia hanc seriem testamenti manibus nostris r + + oboramus.

Didacus episcopus ecclesie Beati Iacobi conf., Adefonsus episcopus Tudensis ecclesie conf., Gundisaluus episcopus Colinbriensi ecclesie conf., Didacus episcopus Auriensi ecclesie conf., Petrus episcopus Lucenci ecclesie conf.

Ego Gomizo Nuniz maiordomus palatii ipsius comitis conf., Egas Moniz conf., Pelagius Suariz uexillifer comitis conf., Menendus Bofinus conf., Sarrazinus Osoriz conf.

Pelagius ts., Nunus ts., Menendus ts., Froila ts., Petrus ts.

Onoricus qui notauit.